

*Ge. 123.*



DISSERTATIO IURIDICA  
 DE  
**EO QVOD IUSTVM EST**  
**CIRCA DETRACTIONEM**  
**QVARTAE FALCIDIAE**  
 Q V A M  
 ADSPIRANTE DIVINI NVMINIS  
 G R A T I A  
 ANNVENTE  
 ILLVSTRI IVRECONSULTORVM ORDINE  
 P R A E S I D E  
**D. GOTTLIEB WILHELMO**  
**DINCKLERO.**  
 IUR. SAX. ET TRACT. CVRS. PAND.  
 P. P. ORDIN.  
 AD D. XIII. DECEMBR. M DCC XXVII.  
 MODESTO ERVDITORVM EXAMINI  
 SVBMITTIT  
 AVTOR RESPONDENS  
**IOH. CHRISTOPHORVS TAVBER,**  
 PLAV. VARISC.  
 \_\_\_\_\_  
 L I P S I A E  
 LITERIS ZEIDLERIANIS.

DISSERTATIO IURIDICA  
 DE  
 EO QUOD IUSTVM EST  
 CIRCA DETRACTIONEM  
 QUARTAE FALCIDIAE  
 QVAE M  
 ADSPRANTE DIVINI NUMINIS  
 GRATIA  
 ANNENTE  
 ILIUSI RECONSILIORVM ORDINE  
 PRAESIDE  
 D. GOTTLIEB WILHELMO  
 DINGKLERO  
 IUR. SAX. ET TRACT. CURS. PAND.  
 P. P. ORDIN.  
 AD D. XII. DECEMB. M. DC. XXXII.  
 MODesto ERVDITORVM EXAMINI  
 AUCTOR REPR. ORDENS  
 ION. CHRISTOPHORVS TAVBER  
 LITERIS SEIGLERIANIS  
 LITSAE





§. I.

**L**Eges duodecim tabularum largissimam testandi concessisse facultatem & id documento esse poterit, quod ex harum sententia tantum unicuique testatori legare permissum erat, quantum id ejus arbitrii ratio ferebat, quo equidem efficiebatur, ut plures hæreditatem tot legatis exhaustam adire recusarent. Hinc primo lata lex Furia testamentaria a C. Furio, Tribuno plebis, qua hæc legandi facultas iis circumscribebatur limitibus, ne integrum esset cuidam ultra mille asses vel legare vel mortis causa donare, præterquam cognatis certisque personis, quales erant e. g. cognati manumissoris. Si quis alius ultra hanc summam legatum acceperat, ipsum equidem legatum rescissioni non erat obnoxium, legatarius tamen quadruplum reddere cogebatur. Legem vero hanc mox eludebat Romanorum calliditas. Scilicet uni equidem non ultra mille asses legare solebant, tot tamen scribebant legatarios, ut & sic penes hæredem nihil aut parum remaneret. Hinc postea lata

A

lex

lex Voconia a Q. Voconio Saxa A. U. C. 1094.  
 Capione & Philippo Coss. ex qua lege non solum femina hæres institui haud poterat, nisi in certa bonorum parte: sed & illud cautum fuerat, ne quis census plus ulli legaret, quam ad hæredem hæredesque perveniret. Voconia tamen illa lex obliterata demum est per opulentiam civitatis. Ergo novissime tandem lata cernebatur lex Falcidia. Est vero lex Falcidia plebiscitum, quod tulit P. Falcidius Trib. plebis temporibus Augusti Cn. Domitio, M. F. Calvino, & C. Asinio Pollione Coss. Anno ab, U. C. 1004. Lex ista cujus ipsa legitima verba ex parte supersunt l. 1. ff. ad L. Falcid. pluribus constitit capitibus, quorum priore libera legandi permittitur facultas his verbis: *Qui Cives Romani sunt, qui eorum post hanc legem rogatam testamentum facere volet, ut eam pecuniam easque res quibusque dare legare volet, jus potestasque esto.* Secundo capite modus legatorum constituitur: *Quicumque civis Romanus post hanc legem rogatam testamentum faciet, is quantam cuique civi Romano pecuniam jure publico dare legare volet, jus potestasque esto, dum ita detur legatum, ne minus quam partem quartam hereditatis eis, quibus quid ita datum legatumque erit, eam pecuniam sine fraude sua capere liceto: isque hæres qui eam pecuniam dare jussus, damnatus erit, eam pecuniam debeto dare quam damnatus est.* v. Illustris Heineccius in Antiqu. Rom. l. 2. Tit. XXIII. -- XXV. §. 15. 16. 17. 18. 19.

§. II.

Summa scilicet Legis Falcidia eo tendit, testatorem a nimio gravamine hæredi suo inferendo abstinere de-

debere, potius hac circumspectione eidem esse utendum, ut si ab hærede suo quædam titulo singulari relinquere velit, huic ad minimum quartam salvam relinquat, qua circumspectione neglecta hæredem ejus quod quartæ deest, de hisce relictis detrahendi facultate polere vid: Illustris Böhmerus *inrod. in jus ff. lib. 35. tit. 2. §. 1.*

§. III.

Falcidia vero ipsa commodissime ita mihi definiri posse videtur, quod scilicet sit portio, quam hæres ultra dodrantem bonorum a testatore relictorum gravatus a titulo singulari relictis deducit, vel retinet vel adimit eo consilio, ut quartam portionis suæ hereditariæ habeat salvam.

§. IV.

Equidem Falcidiæ terminus in sensu latiori nonnunquam capitur. Sic enim quarta Trebellianica nuncupatur aliquando Falcidia, cujus rei documento sunt *l. 1. §. 19. ff. ad Sc. Trebell. l. 18. pr. ff. ad L. Falc.* unde etiam nonnullis solenne est, duas sistere Falcidiarum species: alteram hæreditatis, alteram bonorum restitutioni obnoxiorum. Sed hunc latiorum significatum meum prorsus non facio, quum inter Falcidiam proprie sic dictam ac Trebellianicam permultum intercedat discriminis. Falcidiæ quippe detrahendæ nonnisi hæres directus par est; Trebellianicæ e contra solus hæres fiduciarius: Trebellianica

nica de fideicommissis universalibus deducitur; Falcidia vero solummodo imminuuntur titulo singulari relicta. In deducenda Falcidia spectanda quantitas patrimonii tempore mortis testatoris, locusque relinquendus Falcidiæ, si eo tempore, quo testator diem suum obiit supremum, legata dodrantem excedant, licet deinceps ipsa massa hæreditaria tanta capiat incrementa, ut omnibus legatis persolutis amplius quarta parte superfit. Pariter quando ea tempestate, qua rebus humanis eximitur testator, integra deprehenditur quarta, Falcidiæ deducendæ exulat facultas, licet bona relicta temporis intervallo præterlapso insignem imminutionem perpessa fuerint, §. 3. *Inst. l. 30. pr. l. 73. pr. ff. ad L. Falc.* In Trebellianica verò rite ponenda ejus temporis respectus habendus, quo restitutio hæreditatis peragenda: In Falcidiam quippe imputantur tantummodo, quæ hæres jure hæreditario capit. *l. 91. ff. ad L. Falc.* In Trebellianicam autem omnia iudicio testatoris quocunque relicta imputationi sunt obnoxia. In Falcidia rite ponenda necesse est prius deducatur æs alienum, deducenda funeris erogata causa, insimulque pretia servorum manumissorum §. *ult. Inst. ad L. Falc.* In Trebellianica nihil horum deducitur. Hæredi quartam Falcidiam deducenti onera hæreditaria subeunda sunt; quarta vero Trebellianica retenta actiones hæreditariæ pro rata inter hæredem fiduciarium ac fideicommissarium dividuntur §. 7. *Inst. de fideic. hæred. l. 1. C. ad Sc. Trebell. vid. Struv. in Dissert. de quartæ Falcidiæ natura them. 2. th. 7. Stryck. in Dissert. de illicita Falcidiæ detractioe cap. 1. n. 49.*

§. 5.



## §. V.

Quinam vero isti sint, ad quos spectet beneficium legis Falcidiae, investigandum jam duco. Hæredem directum hoc beneficium usurpare posse statuendum nec quicquam hac ex parte intercedit discriminis, si hæres sit ab intestato, siue testamento scriptus *l. 18. pr. ff. ad L. Falcid.* Et ad ipsos hæredum hæredes hujus beneficii fructus porrigitur *l. 10. C. ad L. Falcid.* Succedit scilicet hæres in univèrsum jus defuncti *l. 62. ff. de R. I.* Qui vero in jus & dominium alterius succedit, merito suo ejusdem sibi vindicat jura *l. 177. pr. ff. de R. I.* ac parum refert, siue hæres suus, siue extraneus, siue institutus, siue substitutus, siue ex æqualibus siue ex inæqualibus portionibus institutus existat. Pluribus itaque hæredibus scriptis in singulis ratio legis Falcidiae ponenda est. *l. 77. ff. ad L. Falc.* Fac itaque duos testatorem instituisse hæredes, Titium ex semisse: Sejum vero ex altero semisse, semissem Titii legatis exhaustisse; Seji vero nullis legatis imminuisse, tunc Titio integrum est ex legatis quartam suæ partis detrudere. Quibus omnibus corroborandis intervniunt ea quæ occurrunt in §. 2. *Just. de L. Falcid.* Quippe ibi disertis verbis dicitur in singulis hæredibus ratio L. Falcid. ponenda est. *v. Wissenb. exerc. ad Pand. Disp. 8. l. 35. §. 14.* Sin vero eveniat, alterutro hæredum deficiente, alterum ejusdem siue intercedente jure accrescendi, siue substitutionis vulgaris subsidio vacantem consequi portionem, hac equidem distinctione adhibita res mihi expedienda videtur. Aut portio non gra-

vata accedit gravata, aut gravata accedit non gravata. Priori existente casu, Falcidia separatim non habenda ratio, sed augmentum hic superveniens cedit etiam legatariorum emolumento: Posteriori vero contingente casu, gravata scilicet portione accedente non gravata, separatim Falcidia a portione onerata, quæ accessit, detrahatur. Denegatur tamen huic distinctioni locus in substitutione pupillari, scilicet in legatis, quæ Pater in primis tabulis ab impubere, & secundis a substituto impuberi reliquit, cum enim tabulæ & Patris & filii unius tantum admittant deductionem Falcidiæ; Legata æque ab impubere ac a substituto relicta dodrantem excedentia contribuenda veniunt. *l. 79. ff. ad L. Falcid.* ubi tamen iterum monendum & hic ea invicem a se separanda esse, aut substitutus impuberi insimul eidem coheres datus cernitur, aut non, præstructo posteriori casu substituto scilicet non insimul cohære dato, distinguere e re erit: aut impubes immiscuit se hæreditati, legatorumque exsolutione perfunctus est; an vero neutrum horum peregit; si nec immixtio hæreditatis subsequuta, nec legata sunt perfoluta, aut immixtio quidem subsequuta, minime vero legatorum exsolutione, ac in impuberi ætate constitutus decessit obtinet contributio legatorum ab impubere, & impuberi substituto relictorum. Sin vero impubes immisceat se hæreditati, & solvere legata a se relicta cupiat, curare utique debet, ut sibi caveatur a legatariis, quanti plus quam per legem Falcidiam licuerit capi solutum fuerit reddi *l. 1. pr. ff. si cui plus quam per L. Falc.*

*Falc.* Qua cautionis exactio si prætermiffa fuerit a tutore impuberis, substituto actio tutelæ competit contra tutorem *l. 84. ff. ad L. Falcid. l. 1. §. 2. ff. si cui plus.* Præfupposito vero casu priori, substituto nimirum in simul cohærede impuberi dato, & testatore impuberis semiffem legatis plane exhauriente, cohæredis vero substituti non, iterum distinctio adhibenda est, an impubes hæres extiterit, nec legata solverit, & in impubere ætate constitutus decesserit, tunc substituto horum tantum legatorum præstandorum necessitas est imposta, ad quæ ipsemet pupillus exsolvenda erat obstructus, scilicet non ultra dodrantem semiffis præstare tenetur, an vero impubes ab hæreditate paterna abstinuerit; tunc enim substitutus cohæres solida præstare legata est obligatus, Confusio enim duorum semiffium impuberis & substituti efficiunt, ut circa legem Falcidiam totius asfis ratio ineunda *l. 87. §. 4. ff. ad L. Falc.* Eadem decisio amplectenda, si duo impuberes hæredes instituti, sibi que invicem substituti & hæreditas substitutionis jure ad alterum deveniat *l. 87. §. 6. ff. ad L. Falc.* Si unus duobus impuberibus directo sit substitutus, ac utrique existat hæres, tunc ex Papiniani sententia contribuenda veniunt legata, unaque tantum detrahenda Falcidia *l. 14. §. 2. ff. ad L. Falc.*

§. VI.

Hæredi itaque directo, qui tantummodo vindicandum afferui Legis Falcidiæ beneficium, a fructu hujus beneficii excludendum statuo legatarium, unde legatarius fideicommissio gravatus destituitur jure detrahendæ quartæ,

ta, quare Titius fundum sibi legatum restituere rogatus, eundem integrum fideicommissario tradere compellitur *l. 47. §. 7. ff. ad L. Falc.* Lege quippe Falcidia testamentorum conservationi prospicere voluerunt Romani; vix enim hæredum fiet copia, qui omnis commodi expertes hæreditatis adeundæ caperent consilium, eveniret vero, ut testamentum hærede nemine ex eo existente suo excideret robore. Nullum vero subest periculum testamentum irritum futurum esse, si legatarius legatum respueret. Ipsam tamen Falcidiam quam passus est pro rata fideicommissario imputare valet, *l. 32. §. pen. ff. eod.* Quapropter etiam Falcidia cautionem a fideicommissario consequitur *l. 1. §. 13. l. 5. ff. si cui plus, quam per legem Falcid. Wiss: exerc. ad Pand. Disp. 8. l. 35. §. 10.*

§. VII.

Quumque hæres ex re certa institutus aliis concurrentibus cohæredibus ex portionibus vel assè scriptis legatarii utatur jure *l. 13. C. de H. l. vid: Ferill. a Berger in diff: de hærede in re certa inst. frustra ad beneficium legis Falcidiæ adspirat, quale iudicium ferendum etiam est de iis, qui mortis causa aliquid acceperunt ac de omnibus quibus singulari titulo aliquid relictum est. v. Titii jus privat. Rom. Germ. l. 7. c. 9. §. 16. 17. 18.*

§. VIII.

Fidei commissarius universalis iis pariter accensendus est quibus lex Falcidia nullum affert commodum  
*l. 47.*

*l. 47. §. 1. ff. ad L. Falc.* Quo tamen commodo fruitur, quando fiduciarius invitus & postulante fideicommissario a Prætorè coactus adiit & restituit hæreditatem, tunc enim fideicommissarius omnis periculi ex hæreditate metuendi particeps fit, repræsentat fiduciarium, ac singula ea suscipere par est, quorum suscipiendorum jure alias gaudet fiduciarius, adeoque & L. Falcidiæ beneficio contra legatarios, quorum legatis fiduciarius, non ipse fideicommissarius gravatus erat, sibi recte consulit, *l. 63. §. 11. ff. ad Scrt. Trebell. v. Struo: in diff. de quartæ Falcidiæ natura them. 1. th. 10. 12.*

## §. IX.

Objectum jam Falcidiæ perpendendum & investigandum erit, de quibusnam relictis Falcidia detrahi possit, in quorum censum non nisi ea veniunt, quæ titulo singulari à testatore relicta sunt. Huc referenda sunt legata etiam si Principi, *l. 4. C. ad L. Falc.* Reipublicæ aut civitati, *l. 3. §. 2. ff. ad L. Falc.* præstanda sint, dignitate enim legatarii nihil juri legatorum decedit, sic & debito creditori legato, Falcidia suum tuetur locum, si scilicet ex tali legato commodum aliquod redundet in legatarium, veluti commodum repræsentationis, ubi tamen ex commodo duntaxat non ex integro legato deducitur Falcidia, *l. 9. §. 10. ff. ad L. Falc. v. Wiss. ex etc. ad Pand. disp. 8. l. 35. §. 16.* subjecta æque sunt detractio- ni Falcidiæ legata, quibus testator patri suo prospexit, *l. 28. ff. ad L. Falc.* & quibus debitori liberatio a debito conceditur, *l. 22. §. 3. ff. ad L. Falc.*

B

§. X.

§. X.

Fidei commissa particularia legatis exæquata, & de iis æque ac de legatis Falcidiam detrahi posse comprobant, *l. 13. l. 18. ff. ad leg. Falc. l. 2. C. eod. v. illustr. Böhm. Intr. in jus ff. l. 25. tit. 2. §. 8.*

§. XI.

Idem iudicium ferendum est de donationibus mortis causa, quippe de quibus ex juris Romani sententia statuendum, quod Falcidiæ subjacere soleant, *l. 5. C. l. pen. C. ad L. Falc. vid. Carpz. p. 3. c. 1. def. 7.* qui merito ab eorum se alienum esse profitetur sententia, qui Falcidiam tantum in donationibus mortis causa in testamento vel codicillis celebratis admittunt. In terris tamen ad electoratum Saxoniam spectantibus, limitibus quibusdam hæc circumferibenda est sententia, quippe in iis detractio Falcidiæ in donationibus mortis causa omnium bonorum prorsus est abrogata *v. p. 3. Const. El. Sax. 1.*

§. XII.

Donationes mortis causa & inter virum & uxorem factæ hæc ex parte æquali utuntur jure, quod nimirum donatoris morte demum confirmantur ac robur fortiantur, spectato tamen jure deducendæ Falcidiæ ex juris Romani sententia summopere invicem a se differunt. Ex donationibus enim mortis causa omnimodo detrahitur Falcidia, *l. 5. C. ad L. Falc.* sive in testamento aut codicillis, sive extra

extra speciem ultimæ voluntatis consummata. At donationum inter conjuges intercedentium alia ratio est, nec enim eæ mortis causâ sed inter vivos celebrantur, nec destituuntur suo successu, quin potius ad id retro trahuntur tempus, quo peractæ fuerunt, sive silentio, sive speciali voluntate corroborentur, dummodo quantitatem legitimam excedentes sint insinuatæ actis judicialibus, *l. 25. C. de don. inter vir. & uxor.* Licet vero donationes mortis causâ ad id pariter reducantur tempus, quo sunt interpositæ, retractionis tamen hujus alia est virtus, quam ea, quæ in donationibus inter virum & uxorem est conspicua, donationes enim mortis causâ retro trahuntur hac ratione, ut sustineantur jure donationum mortis causâ, est enim tali retractioni nequaquam is effectus tribuendus, ut immutet naturam & substantiam donationis. Quæ vero inter conjuges intercesserunt donationes, ac retractæ sunt, sustinentur jure donationum inter vivos, exceptis his, quæ in ultimis voluntatibus obviæ deprehenduntur. Antequam Iustiniani constitutio *l. 25. C. de don. inter vir. & ux.* promulgata erat, Falcidia neglecto hoc discrimine, ex donationibus inter virum & uxorem celebratis deduci poterat, arg. *l. 12. C. ad L. Falc.* Sed hac Iustiniani constitutione emissa cessat Falcidia in donationibus, quibus se conjuges inter vivos ex præscripto modo excitatæ constitutionis Iustinianæ prosecuta sunt, quum in donationibus inter vivos Falcidia prorsus exulet, v. Codex Fabrianus *l. 6. tit. 20. def. 1.*

§. XIII.

Mortis causa capiones sua ita sunt comparatae natura, ut Falcidia respuat detractionem, *l. 1. §. 8. l. 93. ff. ad L. Falc.* peculiare tamen occurrit exemplum, *l. pen. C. ad L. Falc.* comprehensum, ex quo animadvertere licet aliquando huic deductioni in mortis causa capionibus concedi locum, scilicet si haeres prohibitus sit adire haereditatem, antequam certam pecuniae summam exsolverit, quo eveniente casu Imperator Iustinianus constituit, in haeredis arbitrio repositum esse, legis Falcidia beneficio uti.

§. XIV.

In ineunda vero ratione Falcidia respectus habendus est ad quantitatem patrimonii a defuncto relictii, prout idem tempore obitus testatoris extitit, *l. 73. pr. ff. ad L. Falc. l. 30. §. 4. eod.* Corpora legata aestimantur pretio eo, quo istae res censentur ex communi aestimatione eo temporis momento, quo legatis aliis prospiciens decessit non spectato pretio formali, *l. 62. §. 1. ff. ad L. Falc.* scilicet de scriptione censuali, quae res in censum redactae sunt, *l. 4. ff. de censibus*, quum facile contingere potuerit, quod res plures vel minoris aestimarentur iis annis, quibus censores earum taxationem susceperunt. Dum vero in rerum pretio constituendo ad aestimationem communem non ad privatam unius vel alterius affectionem respiciendum est, *l. 63. pr. ff. ad L. Falc.* facili negotio exinde colligere licet, commentum istud doctorum quorundam aliud interesse singulare, aliud com.



commune perhibentium sic nullius esse momenti. *Wissenb. in exerc. ad Pand. disp. 8. l. 35. §. 11.* Qui itaque asserui in quantitate patrimonii circa deductionem Falcidia mortis tempus spectandum esse, exinde etiam affirmandum duco, post istud tempus neque accessione legata incrementa capere, neque decessione imminui, sed incrementum omne & damnum, quod jacente hereditate evenit, heredis lucro vel damno cedere, *l. 73. l. 56. in pr. ff. ad L. Falc.* Capit nimirum haeres quartam partem ex bonis hereditariis, ad horum numero solummodo ea accensenda, quae tempore mortis cujusque inveniuntur. Deinceps etiam pleraque legata sunt ita comparata, ut horum dies ex tempore mortis testatoris cedat, scilicet ut eo tempore deberi incipiant. Nec itaque accessio ante aditam hereditatem contingens legatariis quicquam lucri affert, *l. 30. ff. ad L. Falc.* quae tamen sententia huic limitationi est obnoxia, quando accessio proficiscitur ex facto obitum testatoris praecedente aut obligatione a defuncto acquisita, scilicet si debitoris qui solvendi facultate destitutus erat, bona post creditoris mortem aucta fuerunt, aut conditio crediti extitit, uberior enim hic redditur hereditas commodo legatariorum, *l. 56. §. 1. ff. ad L. Falc.* Pari modo si quid decedit casu fatali hereditati post obitum testatoris id solummodo damno cedit heredis, nequaquam vero legatariorum, unde si res hereditaria morte, incendio, naufragio, furto pereant, omnis hujus damni sensus ad heredem spectat, *l. 30. ff. ad L. Falc.* quae tamen ita accipienda sunt, si damna circa res alias, quam quae legatae, inciderint, ipsa enim re legata pereunte citra culpam heredis, id da-

mnum detrimentum affert legatario prorsus ab hærede  
 non resarciendum, debitores enim ad rem aliquam, id  
 est speciem certam præstandam devincti, ab eius præstan-  
 da necessitate immunes efficiuntur, quando hæc ipsa res  
 ante moram citra eorum factum perit, *l. 23. ff. de V. O.*  
 unde etiam periculo hæredis res legata tunc demum  
 sunt, quando quantitas quædam vel res incerta aut  
 genus quoddam relictum cernitur. Hic enim easi  
 omnes res hæreditariæ casu fatali extinguantur, non ta-  
 men res legata perisse censenda est, *ad l. v. si cert. pet. v. Vir-  
 ginis ad Inst. ad L. Falc. §. 2.* Æstimatio itaque rerum reli-  
 ctarum dijudicanda est ex vero & communi pretio, quod  
 subsistit tempore mortis testatoris, etiamsi ultimam vo-  
 luntatem condens ipse fecerit æstimationem, hucce v. g. u-  
 tendo verbis: Fundum Tusculanum dignum 100. lego  
 Titio, is vero valeat 200. *l. 15. §. ult. ff. ad l. Falc.* Debitum  
 ejus, qui tanta cum inopia conflictatur, ut huic debito  
 exsolvendo non sufficiat ita computandum, ut ratione de-  
 bitoris, cui legata liberatio, integrum debitum verum  
 æstimetur, quoad alios vero tantam recipiat æstimatio-  
 nem, quanta pars debiti exigui valet, *l. 82. ff. ad L. Falc. l. 63,  
 §. 1. ff. eod. residui venditio facienda, ubi tantum hujus no-  
 minis in hæreditate esse reputatur, quanti hoc nomen  
 distrahi potest, Struv. in diss. de Quarta Falcidia natura  
 them. 7. §. 21.* Annuis legatis vel usufructu titulo legati  
 relicto Ictus Macer hæc tradit computandi rationem  
 in *l. 68. ff. ad L. Falc.* Qui est infra annos 20. præsumitur  
 adhuc victurus annis 30. Intra annum 20. & 25. positus  
 vita præsumitur adhuc 28. annorum. Inter 25. & 30. dan-  
 tur

tur 25. Inter 30. & 35. ponuntur 22. agentibus annum 35. usque 40. tribuuntur 20. majoribus 40. & minoribus 50. ponitur vita quasi 59. annorum a. 50. usque ad 55. anni: inde ad 60. anni 6. Majoribus 60. cujuscunq; ætatis tribuuntur adhuc 5. anni. Ipse tamen Macer inquit obtinere rationem simpliciore[m] ita, ut minoribus annis 30. tribuantur adhuc 30. majoribus tot anni, quot a 60. annis defunt, ut nunquam amplius quam 30. anni computentur. Viderur tamen & aliis modis computatio fieri posse, nempe ut annum legatum æstimetur, quanti potest vendi, perceptio decem annuorum pendens ab incerta legatarii vita, taxatur ut ejus quantitatis pars quarta ab hærede detrahatur *l. 55. ff. ad L. Falc.* Alius modus occurrit in *l. 47. in pr. ff. ad L. Falc.* ut hæres de bonis quartam retineat, atque ex eo, quod superest tantum quotannis solvat legatario quantum ei relictum est, donec nihil amplius de bonis superfit, neque a legatario plus etiam percipi possit. Succurrit adhuc alius modus *l. 1. §. 9. ff. ad L. Falc.* comprehensus, [scilicet] ut quarta fructuum vel redditus pars singulis annis detrahatur. Respectu reipublicæ diversus modus computandi proponitur in *l. 3. §. ult. ff. ad L. Falc.* Nam si reipublicæ in annos singulos legatum sit, Marcellus putat tantum videri legatum quod de lege Falcidia quaritur, quantum sufficiat sorti ad usuras trientes ejus summæ quæ legata est, colligendas. v. Huberi *Prælect. ad tit. ff. ad L. Falc. §. 3.*

## §. XV.

Priusquam vero ad deductionem Falcidiæ progreditur hæres, ejus est dispicere quidnam prorsus non censetur

featur in hæreditate defuncti esse, tale quippe in ipsam partem patrimonii defuncti non computatur, adeoque deducendum, nec portionem quartæ constituere potest partis.

§. XVI.

Quorsum referendum est æs alienum a defuncto contractum §. 4. *J. ad l. Falc. l. 54. ff. ad L. Falc.* Estimatio quippe bonorum nisi deducto ære alieno fieri nequit, & bona ea demum esse intelliguntur, quæ deducto ære alieno supersunt *l. 39. §. 1. ff. de V. S.* Sub ære alieno & ista subintelligenda debita, quibus defunctus hæredi obstrictus fuit: Licet enim pro ea parte qua testatori successit hæres, confusione extingatur actio quam sibi asserit competere *l. 8. C. ad L. Falc.* pro residuis tamen partibus actio eidem salva remanet, & si rogatus sit fundum alicui restituere, eundem salva Falcidia præstare fideicommissario tenetur. *l. 14. C. ad L. Falc.* Excluditur tamen hæres a facultate deducendi debiti, quando constat de voluntate testatoris compensare cupientis, *l. 12. ff. ad L. Falc.*

§. XVII.

Eodem jure censetur dos a patre filia promissa licet nondum tradita. Dos quippe promissa licet nondum tradita æris alieni loco habenda, præprimis quum & ex nuda dotis promissione nulla traditione corroborata efficax nascatur obligatio. Unde dos talis promissa merito ab integra hæreditate est deducenda. Sic

Sic porro huic deductioni obnoxium est, quod Testator ex administratione tutelæ bonorum uxoris Emptore venditori hærede existente, venditori scilicet ei qui duplam promisit evictionis nomine, & evictione ante obitum testatoris subsecuta hæredem tantummodo simplicum deducere posse deciditur in *l. 48. ff. ad L. Falc.*

§. XVIII.

Quicquid pariter defunctus non proprio sed alieno nomine possedit, id ab hæreditate deducendum nec imputandum Falcidiæ esse, ipsa evidentia rei commonstrat. Cujus rei exemplum præbent res penes defunctum depositæ aut eidem commodatæ. Res enim depositæ custodia defuncti solummodo demandatæ, ea lege ut eas restituere teneatur, quancuncque hanc restitutionem efflagitat deponens, nequaquam vero ut iisdem ceu rebus suis propriis utatur, aut sibi Dominium aliquod in iisdem vindicet; multo minus in rebus commodatis aliquod dominium ad commodatarium spectat, siquidem usus rerum istarum ipsi ad tempus conceditur, & commodans harum restitutionem tempore præfinito elapso eas iterum suo jure reposcit.

§. XIX.

Funeris impensæ suffragante §. 4. *F. ad L. Falc. § l. 1. §. ult. ff. eod. tit.* ab integra hæreditate deducendæ antequam computatio patrimonii investigandæ Falcidiæ ergo ineatur; maritus tamen si uxoris funus curaverit, huic deductioni tunc demum locus est, si tanquam hæres hoscæ sumtus fecerit. Sumtus enim

C

ho-

hōſce aris alieni loco eſſe exinde comprobatur, quod favor religionis & ſepultura tantus ſit, ut is qui funeris cauſa ducendi quadam erogavit, aliis creditoribus hereditariis præferatur. *l. 45. ff. de Relig. & ſumpt. fun.* Quod tamen neutiquam applicandum ad impenſas monumenti extruendi gratia factas, niſi ſpecies monumenti ſit modica *l. 2. ff. ad L. Falc.* non enim æque neceſſaria eſt monumentorum ædificatio, ac neceſſaria eſt cura funeris & ſepultura; unde legata alicui pecunia, quam in extruccionem monumenti impendit, tale legatum deductioni Falcidiæ eſt obnoxium *l. 1. §. ult. ff. ad L. Falc.*

§. XX.

Quarta vero deductioni locus tum demum relinquitur, quando hæredi quarta portio aliunde non eſt falva, ex quo conſequitur, monendum hic eſſe, imputari quadam in Falcidiam, quæque legatariis hac ratione proficiant. Imputantur vero in Falcidiam ea quæ hæres jure hereditario conſequitur. Unde retentiones hæredibus conſeſſæ huic imputationi ſunt obnoxie *l. 52. §. 1. ff. ad L. Falc.* Retinentur legata ab hærede, quorum capiendorum legatarius incapax eſt, talia legata merito imputantur hæredi in quartam, quia eadem jure capit hereditario. Inutiliter quippe, quicquid legatum ſit, hæres retinet perinde ac ſi legatum prorsus non eſſet. Quoties vero legatum in ea cauſa eſt, ut legatarius propter ſuam incapacitatem ab eo petendo ſubmoveatur, toties hæres id retinet, nec tamen lege ut in Falcidiam ſibi imputari patiatur. Pariter pretium rei hereditariae

eodem censetur jure, si testator jussit rei hereditaria  
 venditionem *l. 19. ff. ad L. Falc.* unde si fundus aestimatio-  
 nem recipiat ducentorum aureorum, quem testator  
 centum aureis vendi disposuit, venditus fuerit ducentis  
 aureis, ducenti aurei remanent, in hereditate, & im-  
 putantur in Falcidiam. At si ex voluntate testatoris  
 fundum centum aureis vendiderit, cum ducentis aureis  
 dignus esset, centum solummodo in hereditate rema-  
 nent Falcidiae imputandi. Nec immunis est pronun-  
 ciandus haeres ab imputatione obligationum & actionum  
 a defuncto acquiritarum & ad ejus successorem univer-  
 salem transeuntium; sunt enim haec pariter in bonis,  
 & in hereditate non minus quam corpora existunt,  
 unde, etiam si testatoris relicta substantia absolvatur no-  
 minibus, haec equidem non minus hereditatem consti-  
 tuunt, quam species relictae. Quale vero iudicium feren-  
 dum sit de eo casu si stipulatio correalis adsit, dispice-  
 re animus est. Fac scilicet, duos esse reos stipulandi,  
 unum decedere relicto haerede, legasse quaedam, qua-  
 estionem itaque incidere de lege Falcidia, quantum ha-  
 redi imputandum sit. Stipulati forte sunt centum, du-  
 bium ergo exinde nascitur, an integra summa stipulatio-  
 ne comprehensa, an dimidia solummodo pars hujus  
 summae quartae veniat imputanda? merito hic inspicien-  
 dum, an isti duo rei stipulandi in societatem secum invi-  
 cem coiverint, necne. Societatis hoc vinculum quan-  
 do inter eos intercedit, dimidia tantum portio summae  
 commemoratae Falcidiae imputanda, socii enim dum sunt  
 isti rei stipulandi haec integra summa inter eos est com-

municanda, sed si focii non fuerint, non statim apparet, cuius bonis summa in stipulationem deducta sit accensenda. Eventus scilicet spectandus est, & ex eo iudicandum, utrius in bonis ea summa sit. Videndum itaque cuiam ea summa soluta sit. Tota itaque summa hæredi soluta, in bonis illius esse reputatur, ac in Falcidiam eidem imputabitur. Meliôr enim causa possidentis in hac stipulatione cernitur, alter ab eo qui solidum exegit quicquam repetendi facultate excidit. Integra itaque summa exacta & integra summa in Falcidiam imputabitur, & si alter horum eorum stipulandi alteri hæres existat, utraque obligatio apud illum remanet. Sed quamam imputanda hæredi correi sui Falcidiæ in illa summa erit ratio? Aut hæc summa soluta est hæredi ex causa hæreditaria, tunc Falcidiæ utique imputanda, si vero solutio peracta fuerit ex causa propria, prorsus imputatio exulat. Hæredi enim ex hac obligatione integrum est agere, vel ex causa propria l. hæreditaria, solummodo ex hæreditaria causa agenti solidum in quadrantem imputandum est.

§. XXI.

Contingere aliquando potest, integram hæreditatis relictæ massam constare nomine quodam seu debito quo aliquis testatori fuit obstrictus, præterea vero nullam quantitatem, nullum corpus in bonis defuncti esse obvium, ergo quarendi suboritur ansa, quidnam hæredi sit imputandum? *L. §2. ff. ad l. Falc.* decidendæ hujus quæstionis præbet fundamentum. Animadvertendum nimirum erit,



erit, quicquid refici potest ex eo nomine seu obligatione, id dividendum esse inter hæredem & legatarios. Supponamus itaque Testatorem quadringentorum aureorum summam alicui mutuo dedisse, ista summa non ita reputabitur, ac si præciser tanta quantitas, quantam ista summa conficit esset relicta, forsitan enim tantæ summæ debitor exsolvendæ non sufficit. Inspiciendum itaque quid ex eo nomine refici, quanti id ipsum vendi possit, & ex pecunia ex eodem redacta quartam hæres detrahit, reliquum vero distribuit legatariis. Ex quo apparet non totam quantitatem summæ debitæ inspiciendam. Nonnunquam tamen tota summa debita in detrahenda Falcidia inspicienda venit; Debitori nimirum quando liberatio est legata, qui ad quadringenta forte obligatus erat, nec aliud in bonis defuncti præter nomen hoc apprehenditur, debitoris vero facultates tam exiguæ sunt, ut non nisi centum exsolvere possit, nihilominus de integra summa debita quartam suo jure exposcit hæres, debitorem enim eum solvendo esse dicimus, qui a debito suo liberationem consequitur. Et debita ex obligatione naturali descendente imputationi in quartam esse obnoxia elucescit ex *l. 1. §. 17. ff. ad L. Falc.* Non enim prorsus indebitum censetur esse, quod naturaliter debetur. Eventus vero circa imputationem istam attendendus, quippe naturali debito cum successu petendo excluditur is, cui naturaliter solummodo aliquid debetur. Expectandus ergo est eventus, an debitor talis solutione satisfaciatur obligationi suæ nec ne, solutione subsecuta & istud naturale debitum imputare tenetur hæres, hac vero solutione non defungatur.

fungente debitore, hæredi non incumbit imputatio, quia iste exigendi hujus debiti facultate nequaquam pollet.

§. XXII.

Actiones itaque & obligationes hæredi imputari in Falcidiam monui, incrementa capit ex iisdem hæreditas, & afferunt legatariis hoc emolumentum, ut eo minus legatis decedat, quippe actiones æque ac species & corpora in bonis connumeranda. Quibus obligationibus & ea addenda est, qua hæres obstrictus erat defuncto, antequam decederet, debitore adeoque creditoris sui hærede existente, obligatio qua defuncto tenebatur in Falcidiam imputatur & bonis hæreditariis accensetur. *l. 1. §. 18. ff. ad L. Falc.* Decisio hæc a juris ratione aliena videri possët, debitor enim hæres creditoris existens confusione liberatus est, ac utraque persona creditoris & debitoris in eandem recidit personam, fieri enim non potest ut quicquam debeatur alicui a se ipso. Si itaque diceretur perseverare obligationem debitoris hæredis idem sibi ipsi deberet; Quod tamen prorsus non procedere vel id argumento esse poterit, quia ad obligationis inducendum & continuandum vinculum diversæ requiruntur personæ, in præsentem vero casu una tantum occurrente persona, haud abs re dicitur debitorem confusione ab obligatione sua liberationem consecutum esse. Quibus ita comparatis in lege Falcidia non videtur ratio habenda hujus obligationis. Neglecta tamen hac subtilitate juris, Paulus in modo excitata *l. 1. §. 18. ff. ad L. Falc.* imputationi hujuscemodi debiti locum relinquendum duxit

duxit; quia spectandum, hic tantum existimat an propter hoc debitum hereditas sit reddita auctior ac locupletior. Auctior itaque cum & hoc nomine reddita sit hereditas, merito hoc nomen in contributionem venit Falcidia. Confunditur equidem obligatio debitoris & creditoris, quando debitor creditori titulo universali succedit, spectato effectu actiones, a se ipso enim nemo aliquid petere vel exigere valet, interim tamen nihil impedimenti subest quo minus debitor tanquam haeres id retineat quod defuncta debuit. Et hac ratione ipsa hereditas reddita est auctior. Quo autem auctior est hereditas, eo minus minuuntur legata.

§. XXIII.

Fructus ex re sub conditione legata pendente conditione percepti augent hereditatem, adeoque falcidia imputandi sunt. Fructus vero percepti de legatis puris legatariis non perficiunt, sed lucro haereditatis cedunt, unde tales fructus imputationem in quartam respuunt.

§. XXIV.

Investigavi jam quando imputatio in Falcidiam locum tueatur. Jam haud abs re erit perpendere, quidnam ita sit comparatum, ut hanc imputationem effugiat. Regula subsequenti id comprehendere potest, quae haeres non capit jure hereditario ea nec imputantur in quartam falcidiam. Non itaque proficiunt legatariis, quae non jure hereditario percipit haeres; unde ea quae praelegati titulo lucratur haeres, ab hac imputatione sunt immunita. *l. 74. ff. ad L. Falc. l. 91. ff. eod. tit.* Non tamen integrum praelegatum huic imputationi subtrahi potest

potest. Scilicet ipsum prælegatum in duas abitur partes, alteram partem hæres a seipso, alteram vero a cohærede accipit. Fac itaque Testatorem duos instituisse hæredes, uni horum fundum suum prælegati titulo relinquere, hæres tunc iste, qui insimul legatarius est, fundum illum consequitur partim jure hæreditario, partim jure prælegati, & sic partem velut a se ipso capit, quia hæres scriptus est ex dimidia parte. Dimidiam ergo hujus fundi portionem hæreditario jure capiens quartæ Falcidiæ imputare cernitur obstrictus. Alteram vero portionem ejusdem fundi a cohærede jure prælegati capit, hac itaque ex parte ab hac imputatione remanet immunis. Quicquid itaque legatario jure percipitur, non imputatur in Falcidiam. Quorsum pertinet decisio, quæ in *l. 4. ff. ad L. Falc.* occurrit, ponamus nimirum, Testatorem nisi fundum legasse sub conditione si navis ex Asia venerit. Ante eventum conditionis fundus ille spectat jure domini ad hæredem non ad legatarium. Hæres ante conditionem existentem facto testamento & me hærede instituto decessit, quæstio itaque suboritur, an iste fundus Falcidiæ imputandus. Decisio istius quæstionis pendet exinde, an fundus iste ad me jure hæreditario an jure legati perveniat, videtur capi hæreditario jure, hæres enim qui me instituit dominio fundi gavisus est, tamdiu quamdiu conditio nondum extitit, si itaque ad hæreditatem pertineat, videtur imputationis onus mihi incumbere. Nihilominus existente conditione a primo testatore adjecta exulat imputatio, incipit enim sic fundus & jure legatario eundem capio.

§. XXV.

§. XXV.

Pariter imputationis expers est, quod datur conditionis implendæ causa, quod scilicet est ita comparatum, ut nec legati titulo nec jure hæreditario accipiatur, exemplum hujus rei in eo casu animadvertere licet. Legat aliquis Titio fundum, si decem dederit Sempronio hæredi testatoris. Positum est hoc in conditione, adeoque nullam dispositionem præ se fert, non jubet Testator dari decem, sed ita legat fundum Titio si decem dederit. Nulla concessa eo nomine est actio, & ideo si decem soluta fuerint, dicentur mortis causa capi. Quicquid enim capitur ex defuncti voluntate, & speciali nomine destitutum, mortis causa capi dicitur. *l. 31. pr. ff. de don. caus. mort.* Hæc igitur, quæ implendæ conditionis causa accipiuntur, non imputantur in falcidiam. Probe tamen attendendum est, an conditionis implendæ causa, an tanquam pretium rei summa quædam adjiciatur, quippe multum interest, an Testator his verbis utatur, lego Titio fundum Cornelianum, si decem dederit hæredi, quo casu hæres decem capit conditionis implendæ causa, an vero mentem suam ita significet, jubeo hæredem meum Titio fundum vendere decem: hæc enim decem hæres capit jure hæreditario. Fundamentum hujus asserti insimul in eo collocandum, quia pretium quod aliquis accipit loco rei hæreditariæ, jure hæreditario accipitur, pretium enim sic succedit in locum rei. Priori casu imputatio exulat, posteriori vero non; Licet etiam priori casu præstructo imputationi aliquando locus relinquatur, scilicet, quando id quod in conditione est, alias debitum erat, etiam si naturaliter tantum debeatur *l. 21. pr. ff. ad L.*

D

Fale.

113

*Falc.* sic si pupillo decem mutuo data sint non interveniente tutoris sui autoritate, adversus pupillum nulla datur actio, quippe nulla exinde proficiscitur obligatio civilis, interim tamen obligatione naturali talis pupillus constrictus tenetur. Quum ergo creditor pupillo fundum leget ea conditione, si decem dederit hæredi, pupillusque ista decem exolvat, imputanda sunt in Falcidiam, jure enim hæreditario ad hæredem pervenerunt, naturalis enim obligatio pro hæreditaria est reputanda. Si solutum non fuerit non poterit imputari in Falcidiam nomen illud, nulla enim actio ex ea obligatione competit. Sed si solutum sit utique imputandum, quia jure hæreditario consequitur id hæres. Pupillus vero naturaliter debebat decem, quæ mutuo acceperat & iterum exsolverat. Ergo hæc doctrina, quæ tradit conditionis implendæ causâ data, non imputanda esse in Falcidiam ita est capiendâ, ut ea non imputari intelligantur, quæ implendæ conditionis causâ tantum dantur, sed in specie modo proposita non tantum conditionis implendæ causâ, sed & jure hæreditario illa decem hæres capit, quia etsi testator hanc conditionem pupillo non adscripsisset, & pupillus hæredi solvisset decem, debuerat tamen iste hæc imputare in quartam.

§. XXVI.

Contingere aliquando potest, hæreditatem reliquam exiguam esse ac tenuem, nec sufficere solvendo æri alieno a defuncto contracto, hæredem vero eandem aspirante fortuna magno pretio vendere; legatarium vero desiderare, in Falcidiæ detractioe universi pretii

tii rationem habendam, & tanti esse hæreditatem contendere, quanti est vendita, hæres tamen legatarii desiderio morem gerere non tenetur, pecuniam enim excellentem veram hæreditatis æstimationem, aut diligentia sua vel stulticia emtoris acquisitam imputare non est iustus adigendus. *l. 3. pr. ff. ad L. Falc.* Multum ergo interest, an sponte hæreditatem vendiderit hæres, an iustus a testatore. Si enim venditio originem suam referat ad iussum testatoris, pretium ex ea redactum hæres jure hæreditario capere dicitur, & sic imputabitur hæredi pretium. Sed si venditio citra iussum testatoris peracta fuerit, inspiciendum quantum vere fuerit in hæreditate.

§. XXVII.

Eodem jure & id censetur, quod hæres ex decisione seu transactione consecutus fuit, quippe quod pariter hæredi non imputatur in quartam. Nec imputatio ni est obnoxium, quod testator vivus extra testamentum dono dedit hæredi, quod tamen limitationem suam recipit, nisi contraria voluntas testatoris appareat *l. 56. §. ult. ff. ad L. Falc. v. Duareni com. in tit. ff. ad leg. Falc. c. 8.*

§. XXVIII.

Sed quemadmodum alia jura sic & jura Falcidiae detrahendæ suis circumscribuntur limitibus. Unde non desunt casus, in quibus detractio Falcidiae locum sibi non vindicat. Excludit vero Falcidiam prohibitio testatoris, unde quando testator disertis verbis interdicit, ne hæres a legatis deducat quartam alias sibi debitam, frustra hæres ad fructum beneficii ex l. Falcidia descendens adspirat: Prohibitio vero ista a testatore

biipils

D 2

facta

facta tunc demum hunc effectum præbet, ut hæres huius beneficii deducendæ scilicet quartæ non fiat particeps, quando testator patrimonii sui non fuit ignarus, errans enim sententia hic non sufficit, sed pura ac integra designatione opus est. Nov. 1. c. 2. §. 2. in f. & deinceps quando prohibitio ista disertis verbis expressa est, & concepta. Nimirum ex Nov. 1. c. 2. §. f. elucescit prohibitionem detractionis Falcidiæ expresse fieri debere. Annon autem tacite ex verosimilibus conjecturis verbisque æquipollentibus prohibitio induci possit, ipsimet Doctores invicem inter se disceptant. Affirmativam sententiam quidam adstruere conantur, his adducti rationibus, quod taciti eadem vis sit quæ expressi *arg. l. 3. ff. de Reb. cred.* & id quoque expressum diceretur, quod ex conjecturis verbisque æquipollentibus colligeretur, adeoque si testator hisce verbis usus fuisset, hæres meus integra legata solvat, hæc verba non frustra adjecta essent, nec suo deberent destitui effectum, cum voluntatem testatoris haud obscure innuerent. Negativa tamen sententia præferenda, nititur enim ista sententia manifestis Nov. 1. cap. 2. in fin. verbis, in quibus dicitur, quod expressum designare debeat testator, se nolle hæredem retinere Falcidiam quam vocem expressum etiam in Auth. Sed cum testator *C. ad L. Falc.* conspiciere licet. Quamvis vero tacitum idem roboris alias præstet, quod expressum, id tamen non procedit, quando in legibus expressio manifeste requiritur, tali enim casu expressi major vis est quam taciti *l. 52. ff. de cond. S. dem. l. 195. ff. de R. J.* Versamur pariter in jure correctorio novo, ibi vero cum  
aliquid



aliquid expresse fieri jubeatur, non sufficiunt verba generalia. Et quamvis testator hisce utatur verbis: hæres solida legata solvat, hæc tamen verba ita sunt explicanda, quatenus scilicet ex præscripto legum tenetur sive deducta Falcidia, testator enim juri se tamdiu conformasse præsumitur, nisi expresse contrarium sit actum. Et licet ita otiosa videantur testatoris verba, non tamen ea propter plus operari debent, ac Legibus id permiffum, & hæc sententia in terris ad Electoratum Saxonie spectantibus expressa lege Decisione nimirum nova 43. corroborata est, in qua Decisione statutum verbis saltem expressis prohiberi falcidiæ deductionem.

§. XXIX.

Prohibita tamen censetur Falcidiæ detractio, quando testator rerum legatarum alienationem interdixit, hoc forsitan modo disponendo: Titio lego ædes meas quas tamen extra familiam suam alienare haud debet, vel ita; lego Titio fundum Tusculanum, verum ea conditione, ut in familia vel penes ejus successores maneat. *v. Nov. 119. c. 11.* Causa tamen quadam prohibitionis subjungenda, videlicet ut res legata maneat apud successores, propter singularem forsitan rei quam defunctus a majoribus acquisivit affectionem *l. 114. §. 14. ff. de Legat. 1.* Nuda etenim prohibitio absque ejusmodi causæ expressione, inutilis est neque hæredem ipsum obligat, Ratio verò cessantis hoc casu Falcidiæ reddit eo, quod is qui prohibet omnem rei legatæ alienationem, etiam interdixisse censetur deductionem Falcidiæ, utpote quæ etiam speciem hæ-

alienationis ex parte continet, adeoque inanis atque elusoria esset alienationis prohibitio a testatore facta, si hæredi rem legatam detractioe falcidiae diminuerè liceret. *a. l. f. C. de Rebus al. non al.*

§. XXX.

Falcidiae vero excludendae non solum ansam suppeditat testatoris prohibitio, sed & persæpe factum vel culpa hæredis, sic hæres vel prorsus non, vel non jure conficiens inventarium indignus reputatur. *Quarta. Nov. i. c. 2. §. 2. & Auth.* sed cum testator vers. quo non observato *ad L. Falc.* & id incommodi eum expectat, ut integris præstandis legatis obnoxius fiat, etiamsi relicta legata vires patrimonii excedant. Cogitur adeoque hæres cum insigni suo detrimento solvere legata integra, licet plus fuerit legatum quam relictum. Præsumitur enim hæres inventarium conficere negligens aut suppressens in dolo versari, fidemque suam reddit suspectam legis contemnendo beneficium, suspicioque contra ipsum oritur expillatae hereditatis. Eadem inventarii conficiendi necessitas incumbit Ecclesiae, quando hæres instituta Legum beneficiis frui cupit, imperator enim eandem Novellae dispositionem obtinere debere statuit in omni persona sive sacerdotali s. imperiali v. §. f. *Nov. i. c. 4.* Salvo tamen Ecclesiae tanquam jure minorum utenti beneficio restitutionis in integrum adversus omissam inventarii confectionem. Spectata modo excitatae *Nov. 1.* generalitate, nec fiscum immunem ab hac inventarii conficiendi necessitate pronunciare possum, fiscum scilicet tanquam hæredem scriptum succedentem non vero subintelligo  
fiscum

fiscum jure fisci bona confiscata capientem. Jure tamen Sax. electorali hac ex parte benignius est prospectum hæredi, decisio enim electoralis Sax. 57. demonstrat, editam juratam specificationem bonorum a defuncto relictorum idem afferre commodum hæredi, ne ultra vires hæreditatis reddatur obstructus quare licet in Saxonia hæres inventarii confectionem prætermiserit, si modo juratam exhibeat specificationem bonorum hæreditariorum; Legata vires patrimonii relictæ excedentia præstare non tenetur potius Legis Falcidiae beneficio sibi prospicere valet.

§. XXXI.

Facto suo hæres jacturam facit Falcidiae deducendæ beneficii, quando criminis expiltatæ hæreditatis reus fit, scilicet dum furripit aliquod ex bonis hæreditariis, talis enim hæres præter alias pænas arbitrarias in *l. ff. expil. hæ. art. 105. const. cr. Carol.* statutas persentiscit etiã jacturam beneficii deducendæ Falcidiae, ubi tamen observanda distinctio hac ex parte inter jus Digestorum, Codicis & Novellarum intercedens. Legibus quippe Pandectarum ita cautum erat: Hæres pro re subtracta intuitu istius rei quam interverterat, saltem exuebatur quarta tanquam indignus fisco portionem istam auferente *l. 6. ff. de his qu. ut ind. l. 59. pr. ff. ad L. Falc.* adeoque Legatarii nullum exinde sentiebant commodum. Postea lege nova Codicis Justinianus introduxit solennis inventarii formam in *l. f. c. de jur. del. § in §. Licentia. 10. d. l.* constituit, hæredem dolose aliquid celantem ex rebus hæreditariis, vel subtrahentem du.

dupli aestimatione plectendum esse, in favorem legatariorum & creditorum, sicque falcidia dicto jure creditoribus non amplius adempta & fisco illata fuit. Alias enim contra legum sanctiones idem hæres bis fuisset punitus præstatione dupli & privatione falcidiæ in simul. *l. 41. ff. de pæn.* Denique jure novissimo *in Nov. 1. c. 2.* Dispositum hæredem convictum de subreptione rei alicujus hæreditaria, quia se non jure gessit in confectione inventarii amittere falcidiam in favorem legatariorum.

§. XXXII.

Culpa hæredis cessat falcidia, quando hæres intra annum formaliter fuit negligens circa adimplendam ultimam Testatoris voluntatem, quod propter singularem legatorum favorem receptum, ne scilicet ultra istud tempus incerti sint legatarii, an aliquod ex testamento defuncti sint consecuturi. Hinc post elapsum annale spatium hæres excidit omni commodo hæreditario adeoque etiam Falcidia. *Nov. 1. c. 4.* Procedunt tamen hæc solummodo, quando hæres formaliter negligens est in exequenda dispositione defuncti, qualis intelligitur ille solum qui ad satisfaciendum testamento a iudice fuit præmonitus *Auth. hoc amplius C. de fidei.* Et sic annus ille, cujus mentionem modo feci, non computatur a die mortis testatoris neque a die aditæ hæreditatis, sed a die admonitionis & comminationis judicialis per decretum factæ. Interdum tamen hæres recusans satisfacere voluntati defuncti adhuc capax est Quartæ Falcidiæ. Nimirum primo si refractario atque contumaci hæredi alia a testatore  
pena

pena fuerit iuncta, quod fieri solet legato pœnali ad-  
 jecto vis. v.g. Hares meus mihi extruat epitaphium, & si  
 non fecerit pœnæ nomine 100 thal. Mævio solvere damnas  
 esto. quo casu pœnæ legali renunciatum censetur  
 Secundo, si defunctus alios speciales voluntatis suæ ex-  
 ecutores dederit. Tali enim casu hæredi vitio verti non  
 poterit, quod ipse hæres executus non fuerit contenta  
 testamenti, cum ista provincia hæc ratione per expressum  
 assignata fuerit executoribus testamentariis. Tertio si di-  
 spositio testatoris Legibus non sit conformis, facta forsitan  
 sub conditione impossibili vel turpi, quales conditiones pro  
 non adjectis habentur. Quarto si tale quid iunctum hæ-  
 redi, quod ipsa lex remittit. Id enim citra omnem me-  
 tum amittendi Falcidiam tuto negligitur. Pertinet hæc  
 conditio juris iurandi, hæc enim licet adjecta deprehen-  
 datur testamento, valide potest omitti, & hæres licet non  
 juraverit, capit nihilominus testamento sibi relictum.  
 Cujus rei ratio in eo est reposita, ne hæres vel temere ju-  
 ramentum persolvendo vel timide illud subterfugiendo,  
 vel conscientiæ vim inferat, vel id efficiat, ut plane extin-  
 guatur ultimum defuncti elogium.

§. XXXIII.

Nec fruitur Legis Falcidiæ beneficio hæres, qui fi-  
 dem testatori tacite accommodat promittens roganti, se  
 velle restituere res aliquas in capaci. Cautum enim est  
 in legibus talem hæredem in quantum fraudulenter agit

E ipsa

ipsa Falcidia excidere *l. 59. ff. ad L. Falc. l. u. ff. de his, qui ut indigno.*

§. XXXIV.

Hæredem pariter facto ipsius proprio exuit Falcidia renunciatio Falcidiæ, siue expressè, siue tacite suscepta: Expressa scilicet renunciatio est, quando hæres disertis verbis enunciat vel paciscitur, se Falcidia haud usurum, sed integra legata exsolviturum. Favori enim pro se introducto quilibet renunciare valet. Repugnare equidem huic sententiæ videtur *l. 20. pr. ff. de donat.* ubi perhibetur, patronum promittentem solvere legata, ad quæ non tenebatur, non esse cogendum fidem servare, licet si solverit scienter, eadem repetere nequeat. Sed in hac lege sermo est de singulari plane casu, scilicet de patrono qui cavit se solviturum legata ex portione sibi debita in bonis liberti, hæc promissio patroni legibus improbata; nolunt enim admittere jura, ut pars reverentiæ patronali debita ulla ratione minuat, quod & alius obtinet in privilegiis ob reverentiam concessis, quibus renunciari regulariter haud valet. Olim Falcidiæ remissio tam superstitum quam mortuo testatore fiebat: Vivo testatore tum demum procedebat, quando consentiente testatore hæres legatario fidem dederat, se Falcidiam haud deducturum *l. ult. C. de pact.* Ignorante testatore talis conventio inter hæredem & legatarios inita haud subsistebat, quippe legi erat contraria *l. 15. §. 1. ff. ad L. Falc.* Post obitum vero testatoris pactum erat validum, ne hæres Falcidia uteretur *l. 46. §. 71. ff. ad L. Falc. l. fin. C. eod.* Hodie tamen & vivo ac ignorante testatore legi Falcidiæ derogari poterit, quum

quam nostra ætate pacta super integra hæreditate viventis ini-  
ta non immerito pro licitis reputentur. Tacita vero renun-  
ciatio Falcidie evenit, quando hæres cui patrimonii relicti vires  
fatis perspectæ sunt, uni integra legata persolvit. Sic enim non tantum  
a conditione indebiti excluditur hæres, sed etiam reliquis legata-  
riis ad legata integra solvenda se obstrinxisse censetur *Nov. 1. c. 3. in  
pr.* Qui enim uni legatario integrum legatum persolvit, videtur  
in totum agnoscere voluntatem defuncti & sic omnibus legatariis  
integre satisfacere tenetur, prospicere tamen sibi potest hæres uni  
integra legata solvendo interposita protestatione. Nam si protesta-  
tus fuerit, quod per solutionem integri legati factam sibi præjudi-  
care nolit, sed quod illud faciat animo donandi, vel ea intentione  
ut legatario amicum suum testaretur animum, facultatem a cæteris  
deducendi retinet Falcidiam. Ea enim est natura protestationis, ut  
jus protestanti conservet integrum *l. 34. in fin. ff. de negot. gest.* Si  
vero eidem legatario plura legata fuerint relicta, hæres vero unicum  
eorum exsolverit, nequiquam dicendus est remisisse jus suum dedu-  
cendi Falcidiam ex reliquis legatis dicto legatario relictis, potius  
ex residuis legatis non tantummodo Falcidiam solvendorum sed etiam  
quartam partem soluti jam tum legati deducere valet, *vid. l. 15. §. 2.  
& l. 16. ff. ad L. Falc.* qui textus nec jure Novellarum abrogati  
sunt censendi. Nam Novella, & authentica sed cum testator *C.  
ad L. Falc.* saltem verba faciunt de casu, quo hæres pluribus lega-  
tariis obnoxius uni integrum legatum solvit, non si hæres uni lega-  
tariorum ad plura legata obligatus eidem unicum legatum integrum  
solvit, ubi hæres ex reliquis legatis suum consequi valet; Quemad-  
modum & ille qui dimidiam legati partem solvit, ex residua parte  
dimidia integram quartam deducit.

§. XXXV.

Legatorum ad pias causas num ea sit indoles, ut Falcidie ad-  
mittant detractionem, nondum adeo expeditum cernitur. Jure ve-  
tèri hujuscemodi legata pia Falcidie perinde subjacebant ac alia  
quorsum facit argumentum *ex l. 49. C. de Episc. & Cleric. de-*

E 2

suntum,

suntum, ubi Imperator testatori, qui non vult ut quis, quæ ex causis piis a se relicta sunt, deducat quartam hanc commendat cautelam, ut piam istam causam instituat hæredem. Ex quo sponte sequitur, Falcidiam detrahi posse, quando per modum legati pio corpori aliquid relictum. Neque hæc jura vetera per jus novissimum in omnibus immutata dici possunt. Licet enim authentica similiter *C. ad L. Falc.* admodum generaliter statuatur, Falcidiam cessare in his quæ ad pias causas relicta sunt, isti authenticæ tamen hac ex parte non fides est habenda, quippe quæ cum originali suo scilicet *Nov. 131. c. 12.* non conspirat apta harmonia. Novella enim ista non indistincte legata pia Falcidiæ eximit, sed certo saltim casu hæredem ea indignum pronunciat, videlicet si is ultra semestrem spatium a die insinuati testamenti numerandum in mora fuerit præstanda legata, per testatorem ab ipso hærede piis causis relicta; Præsertim si mendacio insuper usus fuerit, dicens; relictam sibi substantiam non sufficere ad cuncta exsolvenda legata, unde exinde colligitur non in universum legata pia a defalcatione Quartæ portionis penitus esse immunita. Praxin tamen hodiernam ita esse comparatam, ut hodie hanc deductionem in legatis ad pias causas prorsus cessare plerumque pronuncietur, testatur perillustis a Berger in *Oecon. Juris lib. 2. Tit. 4. th. 31. nota 7.*

§ .XXXVI.

De dote a marito uxori relegata monendum adhuc mihi est, & hoc legatum ne quidem pati Falcidiam, ne quidem ratione habita ad utilitates istas, quæ ex tali legato descendunt, ita, ut ne quidem, de istis utilitatibus deducatur Falcidia *l. 57. ff. ad L. Falc. l. 31. §. 1. ff. eod.*

§. XXXVII.

Exempta porro sunt a Falcidiæ onere quæ filio legitimæ loco & ad supplementum ejus relinquuntur; est enim legitima instar æris alieni, atque ex dispositione legum debetur, ut proinde a patre neque



que per directum neque per indirectum imminui valeat, l. 32. C. de in ff. test. l. 36. l. 30. C. eod. Quod adeo procedit, ut legitima liberorum portio quoque imminuat legata, utut piis locis relicta.

§. XXXVIII.

Inter privilegia quibus milites a legibus sunt exornati, & illud referendum, quod lex Falcidia in testamentis militum privilegiis militum etiamnum gaudentibus locum haud inveniat. Simplex scilicet militis voluntas dum in ultima voluntate pro lege attendenda est, etiam legata in ipsius testamento relicta secundum simplicem ejus dispositionem integra & sine diminutione Falcidiae erunt solvenda.

T A N T U M.

*Errata Typographica.*

pag. 24. in lin. ult pro incipit enim sic fundus & Jure legatario eundem capio, &c. legendum est: incipit enim sic fundus Jure legati capi. Reliqua benivolus Lector, pro sua aequitate, suppleat.



VIRO PRÆ NOBILISSIMO, AMPLISSIMO CON-  
SULTISSIMO, AC EXCELLENTISSIMO,  
**JOHANNI DAVID TAUBER**  
JURIVM LICENTIATO CELEBERRIMO,  
REIPUBLICÆ PLAVIENSIS PRÆTORI  
GRAVISSIMO.  
FAUTORI SUO COLENDISSIMO,  
S. P. D.  
PRÆSES.

**B**lennium præterlapsum est ex quo filium tuum paternarum  
virtutum emulum doctrinæ meæ commendasti. Attu-  
lit hæc res insignem animo meo voluptatem, non solum  
quod insigne sic argumentum, Tuæ erga me fiduciæ ex-  
taret, sed & quod natum Tuum iis pollere dotibus animadvertere-  
rem, quæ spem prorsus egregiam de eo excitarent. Respon-  
dit & Spei meæ felicissimus eventus, eum eximios in studiis sa-  
pientiæ & juris fecisse progressus ipsum ego locuples sim testis.  
Haud vulgarem animi letitiam huc usque ex indefesso studio mihi  
ab eodem approbato, ex modestissimis moribus quibus conspicuus  
incedit, ex iudicii ingenii ejus viribus cæpi. Præsens pariter  
specimen ab eo proprio Marte conscriptum eruditionis ejus luculen-  
tissimum præbet documentum, & in quo a me ne verbulum qui-  
dem vel adjectum vel immutatum cernitur, nolui enim istius in-  
terrumpere labores. Gratulor Tibi solatium istud quod ex Fi-  
lii Tui progressibus studiorum factis persentiscis, rotaque mente  
voveo & precor; ut Filius Tuus ad summa quævis natus Tibi  
in dies majorem letandi suppeditet ansam. Faxit optimum nu-  
men, ut propediem filii Tui egregios conatus largissima excipiant  
premia, servet & Te optimum Numen per plurima lustrorum in-  
tervalla in Republicæ Flavienis quæ tuis consiliis magnam sa-  
lutis suæ partem debet, Familiæque Tuæ splendorem, clientum-  
que Tuorum præsidium. Quod reliquum est, ut me Tuo affectu  
perpetuo complectaris obtestor ac rogo.






Kf 725

X2369281

M





DISSERTATIO IURIDICA  
DE  
EO QVOD IUSTVM EST  
CIRCA DETRACTIONEM  
QVARTAE FALCIDIAE  
QVAM  
ADSPIRANTE DIVINI NVMINIS  
GRATIA  
ANNVENTE  
ILLVSTRI IVRECONSULTORVM ORDINE  
PRAESIDE  
D. GOTTLIEB WILHELMO  
DINCKLERO,  
IVR. SAX. ET TRACT. CVRS. PAND.  
P. P. ORDIN.  
AD D. XIII. DECEMBR. M DCC XXVII.  
MODESTO ERVDITORVM EXAMINI  
SVBMITTIT  
AVTOR RESPONDENS  
IOH. CHRISTOPHORVS TAVBER,  
PLAV. VARISC.  
LIPSIÆ  
LITERIS ZEIDLERIANIS.

